



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. De certitudine conscientiae in re salutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

exhibetur, non apprehenditur dubitante conscientia.

3. *Quomodo misericordia & gratia Dei opponitur debito, merito & dignitati bonorum operum.*

Tota scriptura iudicat, nos coram Deo ^{1.} reputari & pronunciarī iustos propter Christum, propter illum nos liberari à peccato, ab ira Dei, à morte æterna, nō propter nostram iustitiam, meritum ac dignitatem. Hoc Deus ita ordinavit, ut laudetur gloria gratiæ suæ, Ephes. 1. Deindè, ut conscientia nostra sit certa de remissione & salute. sic dicit Petrus Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere per nomen eius. Sic iubet Christus prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum per nomen eius, Lucæ ultimo. Hæc summa est doctrinæ Apostolicæ in Apostolicis Epistolis, nos iustos pronunciarī gratis ex misericordia propter Christum: ob id & fidem nihil aliud esse, quàm fiduciam consequendæ huiusmodi misericordiam gratis propter Christum. Et Deus etiam gratis illam exhibet sic credenti & pœnitenti propter filiū suum. Ioan 3. Ut omnis qui credit in illum, non peccat, &c. Gratis, hæc particula (ut sæpè diximus) non excludit pœnitentiam, sacramenta, fidem, opera, &c. Sed illis causam & fontem adimit misericordiæ Dei, scilicet quòd Deus non propter illa nos pronunciat iustos, sed propter filium suum. Nobilius igitur fundamentum & causa remissionis & salutis nostræ est Christus, quàm sacramenta, opera, aut fides nostra. Et Deus promisit quòd propter Christum vult nobis ignoscere, remittere peccata, dare salutem, reconciliare sibi, deponere iram, exaudire preces. Ioan 3. Sic Deus dilexit mūdum, ut filiū suum daret, & mundus

per ipsum saluetur. Talem promissionem nostra iustitia aut dignitas operum non habet: quare etsi ea maxime exigantur, non merentur iustificationem & remissionem, sed ex misericordia immerita exhibetur propter Christum. Hæc non est exigua consolatio anxietate conscientie, quæ non propter nostram iustitiam aut meritum, sed propter Christum reputamur iusti & saluamur. Ille nobis datus est à Deo, ut sit nostra sapientia, sanctificatio, iustitia & redemptio, ut ait Apostolus 1. Cor. 1.

2. Promissio Dei, quod propter filium suum vult nobis gratis exhibere misericordiam, non apprehendi vult dubitante conscientia. Nam non credere Verbo Dei, aut de illo dubitare, grauissimum est peccatum, eod quod Deus est summa veritas, & non potest mentiri. Igitur qui dubitat de illa promissione, quæ propter Christum iustificetur, aut quod velit illam proprijs meritis accipere, & non gratis, ille peccaret maxime. Vt igitur omnis dubitatio adimatur conscientie, statuit Deus propter Christum nos reputari iustos, ut conscientia sit certa: Et primo, quia herentes in carne, propter peccatum legi non possumus satisfacere Roman. octauo: Deinde si iustificatio & salus penderet à nostra dignitate & operibus, conscientia nunquam esset certa: Nemo sufficienter operatur bona opera, ut sic possit certificari. Romanorum octauo. Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam. Et Psalm. 114. Non intres in iudicium cum seruo tuo. Postremo, etsi omnia optimè fecerimus, iubet CHRISTVS nos dicere, nos seruos inutiles esse. Igitur ut conscientia sit certa, adimitur causa salutis & iustificationis nostris operibus, & transferuntur in Christum, & hoc totum, ut conscientia sit certa, non angatur, sicut dicit Apostolus Roma. Ideo ex fide, ut promissio sit firma, id est certa. Quicquid igitur sit de mea iustitia, hæc non quaero salutem, sed credo per gratiam, id est, immeritam Dei misericordiam pro-